

ELECTA MORALIA,  
CULTUM  
NUMINIS,

Qvatenus naturæ patet,

illuminantia:

PRÆSIDE

CHRISTIANO Röhrensee,

Phil. Pract. P. P. & Elect. Alumn.

Ephoro,

RESPONDENTE

M. JO. CHRISTIANO WEIDNERO,

Annæburg. Saxone,

publicæ disputationi oblata,

Ad Diem XXII. Novembr. A. cL Lc IC.

In Auditorio Majori.

---

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typogr.

Philos.

C.

222, 32



Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden

Q. D. B. V.

1.

**C**um nulla gens, nullum sit mortalium  
genus, quod non, vel ipso Epicuro teste,  
apud CICERONEM, *i. de Nat. Deor.* ha-  
beat hinc doctrina anticipationem quandam DEI;  
extrema utique, & vel morte pianda malitia est, DE-  
UM non agnoscere velle.

III.

Naturalis illa, & congenita animis nostris NUMINIS cognitio eadem nos opera ad cultum ejus adducit & obligat; quem perinde natura notum ARISTOTELES asserit, 2. Top. 4. Alibi, ajens, alia sunt honesta: DEum vero honorare, ubique. Consensus certe omnium hominum per totum terrarum orbem ab ipsis mundi incunabulis personans merito pro voce quadam atque dictamine naturae habetur, verique elogium obtinet. Qvod agnoscit M. TULLIUS, l.c. De quo, inquietus, omnium natura consentit, id verum esse necesse est. Et SENeca, Epist. 117. Multum dare solemus presumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri.

Ac prima qvidem obligatio colendi DEI recte  
arcessitur ab ejus ὑπεροχῇ & excellentissima na-  
tura, qvæ infinitis modis res omnes alias antece-  
lit. Habet enim venerationem justam, qvicqvid

excellit. CICERO *l.c.* Qyam caussam & Epicurus reddit SENECAE, qværenti, cur colat DEUM: Propter Majestatein ejus eximiam, respondens, singularemque naturam. *4. de Benefic. c. 19.* Et profecto, consideranti unicuique attempo animo DEI perfectiones, non modo omnia reliqua pre illis apparebunt exigua, vilia, nulla, sed & horum magnitudo & gloria admirationem in ipso, venerationemque pariet, qva sensum hominis ponderi divinæ gloriæ ferendo non esse parem confitetur.

#### IV.

Altera colendi NUMINIS obligatio deducitur ex hominis a DEO dependentia. Ab ipso enim, tanquam prima & independente causa, non modo totum hoc universum, sed in specie quoque hominem ipsum infieri, esse, operari, & conservari dependere, naturæ hominis non est obscurum. Hinc illa ARATI, *Phæn. in pr.*

Fruimur Jove, & utimur omnes:

Nos genus illius.

Ubi per Jovem DEUM verum mundi opificem intelligi debere, testis est PAULUS, *Act. 17, 28.* Et OVIDIUS, *I. Metamorph. Fab. I.*

Natus homo est: sive hunc divino semine fecit

Ille opifex rerum, mundi melioris origo.

Inde igitur agnoscit homo, se DEO ex jure creatio-  
nis

nis & conservationis esse subiectum, ejusque adeo  
in se imperium, in sua omnia dominium reveretur.  
Debemus parentibus nostris pietatem, inquit Rom.  
SAPIENS, 6. de Benefic. c. 23. & multi non, ut gigne-  
rent, coierunt. Dii non possunt nesciille, quid esse.  
Eturi essent, cum omnibus alimenta protenus, & au-  
xilia providerint: nec eos per negligentiam ge-  
nuere, quibus tam multa genuerunt. Cogitavit  
enim nos antenatura, quam fecit; nec tam leve o-  
pus sumus, ut illi potuerimus excidere. Hanc ob-  
ligationem populo suo in animum revocat ipse DE-  
US Opt. Max. MALACH. i, 6. Filius honorat patrem,  
& servus Dominum suum. Si ergo pater ego sum,  
ubi est honor meus? & si dominus, ubi timor me-  
us? Egregie hoc illustrat LACTANTIUS, de ira DEL,  
c. ult. Debemus hunc omnes & amare, quod pa-  
ter est; & vereri, quod dominus; & honorificare,  
quod beneficis; & metuere, quod severus. Ultraq;  
persona in eo venerabilis. Qvis salva pietate non  
diligat animæ suæ parentem? aut qvis impune con-  
temnat eum, qui rerum dominator habeat in o-  
mnes veram & æternam potestatem? si patrem con-  
sideres, ortum nobis ad lucem, qua fruimur, submi-  
nistrat: per illum vivimus, per illum in hospitium  
hujus mundi intravimus. Si DELIM cogitas, ille  
nos innumerabilibus copiis alit, ille sustentat, in hu-  
jus domo habitamus, hujus familia sumus. &c.

( 3

V.Ter-

Tertia obligatio petitur a nostra in nihilum vergentia, defectuq; rerum omnium, qvibus ad nostri conservationem opus habemus, cum perpetuo desiderio ac appetitu, defectus istos supplendi. Qvod cum a nobis metipsis præstare non valeamus, necesse est, ut superiorem potestatem reverenter ac humiliter accedamus, atq; ab ejus immensa præstantia id flagitemus, ab infinita vero bonitate expectemus. Scilicet DEUS ille maximus potentissimusq; ipse vehit omnia. SENECA, Epist. 31. Ipse auriga, ipse currus, ut ita dicam, est, qvo machina hæc mundi vehitur atq; sustentatur. LIPSIUS ad b.l. Cum igitur, qvicq; in hoc universo, qvicq; in homine imprimis ipso boni inest, ac præclari, id omne multo excellentius sit in DEO, omne sit a DEO, ad fontem omnis bonitatis merito convertitur homo, eaq; non modo mutuo sibi ad tempus collata de prædicat, verum etiam cessura ad supremi NUMINIS libitum agnoscit, atq; inde opem ejus & auxilium implorat, ut succurrat nostræ ad nihilum inclinationi, defectus suppleat, ac desideriis opituletur. Agnovit hoc EURIPIDES, in *Phæniss.*

Non possidemus propria mortales bona,  
Sed jus deorum, nostra dispensatio est,  
Et commodata, cum volunr, repetunt dei.

**Qvis compos mentis, inquit Socrates, apud XE-**

**NO-**

NOPHONTEM, 4. *memorabil.* a qvoq; vam alio  
majora speraret, qvam ad dñs, qvi maxime nobis  
prodesse possunt? Hæc vero sperare ab iis illum o-  
portet, qvi eis placet: ille vero illis placebit, qvi  
qvam maxime illis obediatur. Enim vero omnia pro-  
spere eveniunt sequentibus deos, adversa spernenti-  
bus. LIVIUS, 5, 51.

## VI.

Porro cum homo singulis momentis infinitis a  
**D**E O se affici beneficiis sentiat, ex gratæ mentis lege  
adducitur, ut animum, cogitationesq; universas ad  
ejus cultum referat. Nullum enim officium referen-  
da gratia magis necessarium. CICERO, 1. *de offic.*  
Qvi bonum præbent, eos colere & venerari sole-  
mus, ait SIMPLICIUS, *ad Epist. c. 38.* DEUS igitur,  
opifex omnium, maxime est venerandus. HIERO-  
CLES, *in Carm. Pythag.* Ecqvid enim tam laudabile,  
qvid tam æqualiter in omnium animos receptum,  
qvam referre benemeritis gratiam? SENECA, 4. *de  
Benefic. c. 3.* Qvi proinde monet: Grati simus ad-  
versus deos, grati adversus homines, grati adversus  
eos, qvi nobis aliquid præstiterunt, grati etiam ad-  
versus eos, qvi nostris. IDEM, 5. *de Benef. c. 17.* Ac  
DEO cum primis ad gratam mentem obligari ho-  
mines, inde est, qvia plurima & maxima beneficia  
in eos confert, sine spe recipiendi, cum nulla tamen  
DEO dandi beneficij causa sit. IDEM, 4. *de Benef.  
c. 3. c. 8.*

## VII. Ad

## VII.

Ad idem officium colendi DEI sacrum illud in homine a DEO erectum tribunal, conscientia, nos vocat: qva illi etiam, qvi nullo teste peccant, qvi qve nullum in terris verentur judicem, tacito velut verbere ac horrore concutiuntur, judiciumqve NUMINIS extimescere incipiunt; unde ad placandam iram ejus, toto animo vertuntur. Hinc CICERO, *i. de fin.* Si qvi opibus hominum sibi contra conscientiam septi & muniti esse videntur, deos tamen horrent, easqve ipsas solicitudines, qvibus eorum animi dies noctesqve exeduntur, a diis immortalibus supplicii causa importari putant. PLATO, *i. de Republ.* Si qvis, inquit, morti vicinus est, fabulæ de inferis, haec tenus irrisæ, movent tunc animam, qvod veræ sint suspicantem, atqve ipsa sive propter senectutem, seu qvod alteri vitæ propinquior illa acutius cernat, solicitudinis plena redditur, & examinat, si quem injuria affecerit. Scilicet hæc est illa Rhadamanthea lex, ut, qvi male egit, mala patiatur, qvam DEUM comitari, ultricem scelerum, Ethnici crediderunt, ac propterea NUMEN offendit omni ratione placare studuerunt, & Epicureum dogma, quo DEUM neqve ultionem proseqvi, nec promeritis capi statuerunt, ceu religioni inimicum, proscripserunt.

